

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XXXIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

S. D. Reverende & Clarissime Domine Doctor.

Quas Brunsvigam misisti literas, 19. Junii datas, Nonis Augusti accepi. cum posteriores, 12. Julii scriptæ, ante decendum mihi redditæ essent. Tibi pro assiduitate literarum, & communicatione Responsi Jacobi Andreae gratias ago. Pappi & Frischlini libellos ante Pentecosten habui, & recens etiam Oliandri Epistolam, in qua refutationem thesium Pacifici, de quibus tantopere Sturmius, tanquam invictis, triumphat, ipse expectavi. Quas ad Jacobum Arndt scripseram, rectè curatas esse, lætor. Fratrem Erasum rogari à te velim, ut literas à Jacobo ad me flagitet, & isthuc transmittat, ut tabellarii facultate oblata ad me perferantur. Siquid de Erfordiensis Theologorum conventu, & Wirtembergici Principis in urbe Argentina actionibus, <sup>de 1612. 17. 18.</sup> habes, quæso, ut impertias. Quis sit histrio, qui sub larva Ambrosii Wolfitoris in scenam prodiit, sæpè jam ex te quæsi. Quid mihi significetur, ex adjecta pagella cognosces. Bene vale. Rostochii, 2. Augusti, Anno 1581.

David Chytræus.

Genero meo & comiti dabis ad fratrem literas, ut Argentinae amicum habeant, cujus beneficio in aliorum bonorum notitiam veniant. Iterum vale, 19. Septembr. Francofordiæ.

Obligationem Davidis Razii, à me subscriptam, & obfignatam, quæso, ut Senatui Ecclesiastico exhiberi, & priorem obligationem à matre & Ofenbachio datam reddi cures. Quod in literis ad Senatum meis peto.

XL.

(Philippo Marbachio.)

S. Reverende & clarissime Domine compater.

Edi hoc epistolion genero meo, isthac transeunti, ut occasionem inchoandæ tecum amicitiaë haberet. Monstrabis igitur ei Academiam & cætera apud vos <sup>in 1581.</sup> De statu Academiae & ecclesiae in patria tua doceri literis tuis cupio, quas ad Matthiam Ritterum, Francofordiam prima occasione mittes. Nam in hac vicinia me aliquot hebdomadas commoraturum arbitror. Bene vale. Francofordiæ ad Mœnum 18. Septembris, Anno 1581.

David Chytræus.

XLI.